

IN THEATRVM VRBIVM
GEORGII BRAVNII AGRIP-
PINATIS
PALLAS BRAVNIO.

Docte vir, Actæis mihi commemorande cothurnis,
Sic Graiis palmam præripis ergo meis?
Germanos Graia perfundis luce, Mineruam
Instituens artis mutua dona dare.
Perge, nec inuideo, post te mihi nemo secundus,
Et maior nemo te nisi Pallas erit.
Hoc studium obsideat mentis penetralia doctæ,
Viuerè non fato nobiliore potes.
Concharum mihi nexus erit & vincula tecum,
Si quid & hoc nexu iunctius esse potest.
Ecce domus ego Diua tuæ iunctissima limax;
Nil potius nostris nexibus esse potest.
Quas ego condidero terris & portibus arces,
Strato quas vrbes condideroq; mari,
Finge, coloratis illas & cude papyris,
Et rebus titulos adde disertè suos.
BRAVNIA sic ego Pallas ero, tu BRAVNIVS autem
Palladius: Musis impero, tuque vacas.

Guilhelmus Salsmannus Agrippinas.